

2000-03-25- SS Ioannes Paulus II - Epistola 'Fratri Nostro Angelo Cardinali Sodano'

LETTERA DEL SANTO PADRE GIOVANNI PAOLO II AL CARDINALE ANGELO SODANO, LEGATO PONTIFICIO ALLE CELEBRAZIONI DEL V CENTENARIO DELL'EVANGELIZZAZIONE DEL BRASILE (PORTO SEGURO, 26 APRILE 2000)

Venerabili Fratri Nostro ANGELO S.R.E. Cardinali SODANO Secretario Status

Quinta iam appetit saecularia memoria ex quo tempore ad Brasiliensia loca Evangelii nuntius allatus est Dominique salutaria beneficia gentibus illis praeberi coepta sunt, sollertibus operantibus missionariis, qui in gentes studio incensi, innumeris superatis difficultatibus, animose longum iter quondam susceperunt et ad oras illas appulerunt salubre opportunumque auxilium frequentibus ibidem incolis laturi.

Admodum ideo aequum est et convenit ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat memoriam repetendi, verum homines ad ferventiorum religionis sensum, firmiorem fidem certioraque proposita, pristinis illis instantibus probandis exemplis, permovendi.

Ipsa igitur favente Domino, mensis Aprilis die potissimum XXVI apud Portum Securum sollemnis erit a primaeve illa evangelizatione quingentesima anniversaria commemoratio, ut latissimus ager hic dominicus, inde fere sumens vim, uberiores fructus fundat ac laetiores dies pacis prosperitatisque communi de labore experiatur.

Quocirca Brasiliensium Episcoporum et Nationis Auctoritatum postulatis libenter subvenientes, ut ritus ille elatius evolvetur, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, cuius cotidianis fere consiliis operaque uti solemus et ipse idoneus occurris qui eventui illi intersis personamque inibi Nostram geras. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, LEGATUM PONTIFICIUM renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes, cum quamvis longo spatio separemur adsimus spiritu praesentes. Omnibus Nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertias velimus, quae, Magno lucescente Iubilaeo, sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum documentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis Martii, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.

IOANNES PAULUS II